DE PRINCIPE IMPERII IN PROMISSIS VSVRARVM PRIVATO FACTIS AD QVANTITATEM LEGE DETER MINATAM SERVANDAM NON OBSTRICTO

PRAESIDE

GODFR. LVDOV. MENCKEN

JCTO

ANTECESSORE, CVRIAE PROVINCIALIS ELECTOR: CONSISTORII ECCLESIASTICI, SCABINATVS, FACVLTATIS JVRIDICAE PARITERQVE JVDICII DVCALIS IN MARCHIONATV LVSATIAE INFERIORIS ASSESSORE

D. XXIX. NOVEMBR. M DCC XXV

PRO LICENTIA

SVMMOS IN VTROQVE JVRE HONORES ET PRIVILEGIA RITE CAPESSENDI

LOCO HORISQVE CONSVETIS

DISSERET

ERNESTVS ADOLPHVS NESTER

MERSEBVRG.

VITEMBERGAE, LITERIS GODOFREDI GAEBERDTI.

CAPUT I.

THES. I.

NAturale Usurarum debitum definire, cum sat difficile sit, ob dantis accipientisque conditionem, ad quam, habita ejus insimul, quod intervenire ac alterare statum potest, ratione, primario respiciendum est; quantitatem earum adæquate determinare, multo difficilius esse, per se patet. Naturale Jus, arithmeticam proportionem in eis attendi velle, qui statuunt, sententiam pro lubitu flectendam, maximeque incertam, dicunt, quæ danti sortem magnam arbitrandi potestatem elargitur. At enim vero accipientis potius arbitratu in usurarum præstatione standum esse, putavero. Hic suam, in alieno vertendo ac commutando, operam industriamque adhibitam optime cognitam habet. Hujus autem æstimationem excedens lucrum, est demum id, ex quo usura deberi potest. Si nimis magno

Naturale usurarum debitum definire difficile,

quantitatem difficilius est.

pretio proprios labores ſudoresque computaſſe accipientem eveniat, fac, creditorem ex eo injuriam, ſi qua eſt, pati, certe minor eſt, quam ſi eam feciſſet ipſe. Vix omnino jacturam ſentire videbitur, qui, ubi nullum ſperavit, dignum debitumque non obtinuit lucrum.

Thes. II.

De his, quid ſentiam, dico.

Quid de uſurarum debito ſentiam, paucis dabo. Sortis otioſæ, aut rei, fructum mihi non ferentis, innoxium uſum indigenti proximo denegare, inhumanum, & uſurarum, extra caſum, quo ipſe indigeo, exactionem naturali jure illicitam credo. De quæſtu enim, ex re mea ſterili jacente, aut ad meas neceſſitates non neceſſaria, ab alio parato partem, quaſi ex ſocietate, uno operam, altero nihil conferente, prætendere, canina eſt invidia. Fortunam autem ſuam aliena ex miſeria locupletare, illicitum lucrum. Vbi vero bonorum ſuorum copiam alteri facit, qui ipſe illis opus habet, quod deductis laborum impenſis ſupereſt, pro dantis accipientisque æquali aut inæquali ſorte diſtribuendum erit, habita, in pari ſtatu, ejus, qui ſua opera paravit lucrum, potiori conditione. At, quando major unius præ altero eſt neceſſitas, etiam iſti major debetur portio. Inde quanta incertitudo uſurarum quantitati in vim normæ ac regulæ juſte determinandæ obſtet, facile apparet.

Thes.

Thes. III.

Venio ad positiva humana Jura. Canonicum Jus usuras accipientes Clericos ab officio & beneficio suspensione punit, Laicos ad dignam usque satisfactionem excommunicationis vinculo innectit. *C. VII. X. d. Usur.* add. *c. 6. & 7. caus. 14. qu. 4.* Idem quasvis usuras damnat, ut adeo, illo Jure, ne modicas quidem acceptare liceat, cum omnes injustæ, puniendique illas sumentes, sint. Et ne, alienis prætextis titulis, lucrum intendi queat, quod ultra datum perceptum est, pro usura, quam improbat, declarat *c. 1. & 4. caus. 14. qu. 3.* Interim divitiis Cleri ac monasteriorum indies augmenta capientibus, ne semel statutum revocare necessum haberent, de lucro ex pecunia, per usum ejus, alii concessum, eruendo cogitasse Pontifices negandum non est. Nam inter alios modos, otium & quietem cum summa rerum abundantia, Clero, in aliena tuenda ac procuranda æterna salute distracto, debitam promoventes sollicite exquisitos, annuos reditus beneficiis ecclesiasticis, collegiis, canonicatibus, præbendis ac aliis dignitatibus erigendis, imo & conservandis, admodum aptos, pro soluta pecunia, in perpetuum constituendos, tolerandos esse, ob contractum emtionis venditionis intervenientem, venditoremque, conventam pensionem annuatim præstantem, a repetitione sortis in mutuo solenni & ab importunis aut rigorosis creditoribus metuenda, securum redditum pronunciabant. Imo tales contractus minime usurarios, sed licitos potius & communi utilitati deservientes profitebantur, ac per bullam declarabant. Demum eo proce-

Quid human. jur. de eis statuant, & in spec. Jus Canon. exponitur; hoc omnes usuras damnat,

annuos reditus tolerat.

cedebant, ut, cum quidam redolentes hos reditus usuras, usurarios, increparent, ac damnati semel lucri labe minimum pollutos prætenderent, eos censura ecclesiastica compescendos, renitentibusque indignationem Omnipotentis Dei & beatorum Petri & Pauli Apostolorum annunciandam esse, statuerent Papæ Martinus V. & Calixtus III. ut legere est in *C. 1. & 2. Extrav. Commun. de emtione & venditione.*

Thes. IV.

Civile Jus usuras pro diversitate negotii

Civile autem, sive Romanum Jus, usuras ejusdem cum sorte generis permittens, *L. 23. & L. f. C. d. usur.* modum in iis, pro negotiorum diversitate, *L. 26. §. 1. C. de usur. L. 38. ff. d. neg. gest. L. 1. pr. L. 37. ff. d. usur. L. 71. §. 8. & 10. ff. d. adm. tut.* determinavit, ut adeo ad quantitatem definitam redactæ tam licitæ quam justæ hoc jure sint. Imperii Sanctio quinque ex singulis centum tantum legitimas declarat usuras *R. Imp. d. A. 1654. §.* anreichend. *174.* & annuis in reditibus constituendis eandem normam servare jubet. Vltra quincunces pacisci ex centum, interdicit quoque Saxonicum Jus, **Torgauisch Ausschreiben** *d. An. 1583. tit.* **von Wucher §. als haben Wir**, ita, ut, ne piis causis quidem, majores constituere liceat, *Mandat. de d. 30. Aug. A. 1661.* quod vero quincunces excedit, fiscus occupat. *Recess. Prov. d. A. 1628.* Is igitur, qui usuras ultra quantitatem, legibus permissam, promissas datasque accipit, improbus fœnerator audit, & usurariæ pravitatis reus dicitur. Non minus præfinitis in legibus pœnis rigorose coerceri, restituereque illegitime acceptum digne compelli jubetur. Conditio quippe

& Imperii Recessus quincunces

easdem quoque Jus Saxonicum determinat.

quippe ipsius obsequii necessitatem secum fert, omni, qui alieno paret imperio, incumbentem. Usuræ itaque legitimæ a Lege nomen habent, & quem hæc devincit, illas servare obligatur. Qui vero legibus, usuras definientibus, non subjacet, nec normæ servandæ adstringetur. Accidit hoc, ubi Imperii Princeps, qui immediate Imperio subest, in negotio, cum privato inito, in promittendis usuris, determinatum, publica etiam Imperii Sanctione modum excedit. Cum enim ille cum Imperatore, ob societatem legislatoriam, Imperii Leges ac Recessus condat, secundum hos mediatorum subjectorum actiones modo judicandæ veniunt; Ipsi autem conditores sibi legem dicere voluisse non videntur, potius Imperium & civilis libertas illos exleges facit. Adeoque, Legislatorem suis Legibus censendum esse, statuere, incivile. conf. D. TITIUS *In specim. Jur. Publ. L. I. c. I. §. 59.* et ipsius voluntas pro lege erit. *Transitus ad Thema.*

THES. V.

Pluribus hac de materia agendum nunc erit in Themate Dissertationis inauguralis, quod titulus exhibet, elaborando. Vsuras enim a Principe Imperii ultra quantitatem Lege determinatam, valide promitti posse, consequenterque illas acceptanti usurariæ pravitatis notam jure non inuri, adstruemus ac defendemus. Equidem non diffiteor, Virum Magnificum atque Excellentissimum Dn. D. JOH. BALTHASAR WERNHERVM, Jure Cons. consummatissimum, in Ordine JCtorum maxime spectabilis Decani munere fungentem, in Programmate proxime, sub dato Vitebergæ Idibus Octobr. emisso, occupasse hanc operam, *Thema proponitur.*

ram, & liquidissimis ex Jure desumtis fundamentis thesin, *quod Imperii Princeps a nexu Imperii Legum, Recessuum nomine venientium, de usuraria pravitate disponentium, eximatur*, adstruxisse. Verum cum idem thema excitatis in adversum quibusdam dubiis obnoxium redditum fuisse acceperim, illa trutinare ac sub incudem mittere decrevi. Procedam autem ita, ut, postquam in proximo capite fundamenta probationis dedero, & ab objectionibus, probationis ponderibus obtortis, liberavero, thesin confirmavero, in sequenti ipsos scrupulos injectos proponam evellamque ac dubia complanem. Ne vero, Rubri explicatione prætermissa, aliqua contradicendi, mordendique desiderio flagrantibus enascatur occasio, verba, quantum satis, declarabo.

Rubrum explicatur.

Quid usuræ civili lege ponderatæ? quæ legitimæ sint? ante dictum. Legem Superioris jussum esse, inferiores obligantem, vulgo notum est. Imperii Principem eum intelligo, qui ut Status immediate Imperio R. G. subest. Promissi nomine, dantis de aliquo dando, & accipientis de eodem acceptando conventionem, complector. Qui non obstringitur Lege certa, valide promittit etiam contra illam Legem, & cum effectu, ac sine periculo actionis vel pœnæ, ad implementum tendere licere ei, cui promissum factum est, præstat. Privatus dicitur persona mediate Imperio subjecta. Pluribus non morabor instantem laborem.

CAPUT

CAPVT II.

THES. I.

INter fundamenta, quibus suffulcitur nostra sententia, primo loco concursum Imperii Principis ad Recessus Imperii condendos pono. *Thema probatur I.* Quamvis enim non ignorem, communiter tradi, Principem duplicem sustinere personam, aliam in relatione ad alios Principes, vel Respublicas, unde publica, aliam, habito ad actiones, quas cum privatis habeat communes, respectu, unde privata nominetur, ipsumque in hac consideratione cum privatis eadem agnoscere jura, in illa vero privatis opponi, & supra leges esse. Attamen per se, credo, liquet, in comitiis, ad Imperii leges ordinandas, comparentem Principem publicam referre personam: Maxime, ubi non modo materiæ, in illis decidendae, subditorum respiciunt statum, sed et finis vere primarius illorum eo tendit, ut omnium in Imperio Imperantium subjecti eodem jure, ex Superiorum suorum voluntate, sub nomine placiti totius Imperii promulgata, utantur. Imperii Recessus igitur, qua privatas leges, obligationis nexu suos conditores non implicare, potius autoritatis præstationem in ipsis custodiendis, et privatorum negotiis ad eosdem redigendis, ab illis expectare, consequitur. Sunt enim ab Imperatore & Imperii Statibus non alio fine latæ hæ leges, quam, ut subditi mediati ad eas actiones suas conformiter componant. Et hac ratione publicis legibus, etiam Imperii Recessuum nomine

mine venientibus, opponuntur. Hæ enim Imperatorem ac Status Imperii, vel totum Imperium, uel ejus partem respiciunt, subditorumque mediatorum conditionem aliter haud feriunt, quam in quantum ad finem legis conditæ exequendæque obtinendum concurrunt.

Thes. II.

Probat. II. Vsurarum materia, in Comitiis, quæ Recessus Imperii *de Anno 1654.* secutus est, proposita, ac communi deliberatione perpensa, quantitasque in illis exigendis §. *174.* definita, secundam probationem nostri asserti suppeditat. Cum libertate Imperii Principis enim pugnat ipsius negotia cancellis includere velle. Imperiique commodo excideret Princeps, si æqualem cum subditis, in rebus suis gerendis, attendere normam patique sortem obligaretur. Usum rei suæ inferiori Superior præscribit, sed sibi ideo Legem non ponit. Dum nimium rei usum coercet, & cum injuria conjunctum declarat, ac in subditis suis improbat Princeps, liberæ suæ dispositioni præjudicium nullum facit, nec facere voluisse, putandus.

Thes. III.

Probat. III Causa usurarum, in certam normam redigendarum, tertio probat, in Imperii Recessibus, ubi de eis agitur, illam non nisi injuriose, & cum læsione Principi debitæ reverentiæ ad Principes applicari. Dictus enim §. *174. Rec. Imperii* ad alias Constitutiones se refert, in quibus usuraria pravitas,

tas, in creditis exerceri solita, increpatur. Quales sunt *Rec. Imp. sive Reform. Polit. d. A. 1548. Tit. 17. rubr.* von wucherlichen *Contracten it. d. A. 1577. it. d. A. 1583. eod. titulo, junct. d. A. 1600. §. 139. & d. A. 1609. 1614. 1615. &c.* Num itaque Principem, majores quam quincunces usuras promittentem, usurarium manifestum nominare quis audebit? Aut ipsius pactum, decem & plures usuras, ex centum promissas, referens, his textibus notatum ac comprehensum esse, quis statuet? Hoc modo omnis Legislator factum, sua Sanctione illicitum declarans, aut contra certam prohibitionem agentem delicti ac pœnæ præfinitæ reum arguens, idem committendo, in illicito, prohibito ac punibili actu versaretur. Non delinquit, qui, quod vult, facere potest, sed, qui, quod debet, non facit, peccat. Debitum faciendi subditorum actionibus tam arcte cohæret, quam libera quid faciendi vel omittendi potestas Principibus inest ac competit. Adeoque Legibus Imperii generalibus in privatis quod damnat Princeps, illud in se, suaque persona, nec probat, nec improbat. Cum id tantum agatur, ut subjectorum Imperii mediatorum justæ ab injustis discernantur actiones, ipsique Principes in æquale jus subditis per totum Imperium reddendum conveniant; neutiquam vero, ut de propriis suis actionibus judicent, quidve statuant, aut cum subjectorum notatis factis commisceant, ejusdemque faciant census.

THES. IV.

Quarto ipsam Recessuum Imperii Conditorum intentionem, ubi lege usuris terminum posuerunt, mini- *Prob. IV.*

me fuisse, suæ libertati in majoribus promittendis officiendi, vel inde liquet, quod usurarium negotium contracturis, maxime, summæ necessitatis casu instante, vel ipsa occasio sit non raro defutura, creditum parandi, si non liberum ipsis remansisset, tot, quot lubeat, spondere usuras. Privatis enim cum privatis paciscentibus, multæ securitatis quærendæ, ac præscindendarum futurae litis ambagum suppetunt remedia, quæ quincuncium lucrum certum promtiusque obtinendum faciunt. Sed Imperii Principem eodem modo constringere, vel pudet privatum, vel non licet. Hinc tutius cum subdito contractus iniri, quam cum Principibus, posse, in propatulo est. Illum enim, conventionem non servantem, imploratum judicis officium, ad præstandum debitum, ilico compellit. Ab hoc vero, moroso præsertim in adimplendis promissis, suum consecuturus, ut alia taceam, quos non sumtus impendere, quas non temporum dilationes ac tergiversationes legales experiri, quibus non curis ac sollicitudinibus ad longævæ litis finem tendere, habet necesse. Pecuniam igitur fœneratitiam citius privatum, quam Principem, inventurum, spe lucri majorum usurarum subducta, facile creditu est. Sed tantum abest, ut extra commercia constitui, usuras in normam certam redigendo, voluisse Imperii Legislatores videantur, ut potius libertatem majores usuras promittendi, ad compensandam exactionis difficultatem prælationemque, in concursu cum privatis, efficiendam, integram sibi reservasse, intelligantur.

THES.

Thes. V.

Probationem susceptam finio, quintum argumentum pondus fere præcipuum continens, addendo, Imperii scilicet Principes, si, quod tamen non est, sibi privatis Imperii recessibus etiam regulam præfigere voluissent, tamen eo ipso, quo aliud expressis verbis in contractu celebrato egerunt, mutare prius consilium & in isto casu aliud constituere. Eadem enim facilitate, qua Legislator volens legem, sibi non scriptam, admittit ac recipit, ab illa recedit, utique si nemini exinde damnum nascatur. Alias consensus, semel præstitus, omnem excluderet mutationem. Hoc in iis, qui in negotium legem ipsis faciens consentiunt, procedit, in aliis non æque. Eodem modo recepta semel communia jura mutare aut tollere prorsus non liceret. Ad hoc autem, ut, cujus in potestate est a lege recedere, iste discessisse intelligatur, ut claris verbis animum de eo expresse significet, non requiritur; potius ipsum factum verborum vicem occupat, ut sic a dispensatione, per modum specialis gratiæ obtinenda, differat. Hæc enim generalis Legis limitationem, vel ipsis verbis, vel facta ad impetrantem applicatione, refert. Quando autem Princeps actu id agit, ut legis limites non attendat, se supra leges suas esse, commonstrat. Idem omnino fit, ubi contractu majores, quam quæ lege permittuntur, usuras pollicetur, tum enim pactum pro lege est, & ejus vim habet. *Probat. V.*

Thes. VI.

Conclusio ex præmissis formatur.

Privatus igitur cum Imperii Principe talem celebrans conventionem, statim securus est, nullamque sibi, ita pacisci non licuisse, exceptionem metuendam habet. Siquidem ipse licet sit mediatus, licet non ejusdem, sed alius Principis superioritati subsit, eique alias in promisso usuras quincunces accurate attendere incumbat; nihilominus ipso facto, quo, cum Statu Imperii, talem iniit contractum, qui hujus respectu illegitimus appellari nequit, extra legis pœnam est. Aliud sentientes eam, quæ Imperii Statui non detrahi potest, in leges publicas, privatos respicientes, autoritatem imminuunt, nec attendunt, solum Status Imperii interventum, contractum cum ipso initum, supra leges extollere.

Thes. VII.

Contra probationes objectiones afferuntur

In dictis habent, quæ moneant adversæ sententiæ patro-
1. ni. Principis enim, lege soluti, conditionem ei, cum
quo contrahit, neutiquam hoc ipso communicari, con-
2. tendunt. Hujus intuitu usuras, ultra legem conventas,
3. usurarias pravasque appellandas, remanere. Statum Imperii, Legum lege solutum esse, non contractus le-
4. ge. Cum tali etiam privatum, contra leges contrahentem, suo Principi, cui subest, relinquendum esse

Respondetur ad eas.

1. puniendum. At enim vero, quod, qui cum Imperii Principe contrahit, jurium ipsius fiat compos, nemo

asserit.

aſſerit. Alias, eadem ratione, ſed falſo, inferretur, quia privatus legibus ſubjacet, ideo etiam Princeps, cum privato contrahens, de ſubjectione participet. Sine 2.
lege quoque nemo delinquit. Vbi uſurarum enim non eſt modus, ibi nulla legitima quantitas. Ideo Status Imperii quaſcunque valide promittit. Qui autem, legitime datum, illegitime acceptum poteſt dici? In verbis: Lege legum ſolvi non lege contractus, 3.
latere magnam obſcuritatem cuivis lectori credo patebit. Interim repono, Princeps uſuras, ordinariis majores, poſcendi jus, ſecum contrahenti tribuit. Id circo, uti ipſe, ſic contractus, ſecundum privatam legem non debet judicari. Cum Principe, vi juris ipſi 4.
competentis, contrahens nihil injuſti perpetrat. Sed non niſi injuſta facta legis merentur coercitionem. Quem unus ſupra leges efferre valuit, eundem alius ſecundum eas judicare non aſſolet.

THES. VIII.

Recenſentur plures objectiones

Pergunt, inter contractus, cum Principe ſuſceptos et 1.
eos, qui inter privatos ineuntur, diſparitatem nullam, quoad obligationis vinculum intercedere. Nam 2.
Principem in iis, ut privatum ſpectari velle, & illicitum, quod quæſitum fuit, lucrum non minus averſari, quam civem quemvis, aut privatum hominem. Pe- 3.
riculum ſolutionis in Principe nullum eſſe propter *L. 2. §. 1. ff. d. fund. dotali.* Contractum, ſive mutui, 4.
ſive alius generis, eodem modo cum Imperii Statu, atque mediate ſubjecto, iniri. Non minus uni, quam

alteri

alteri ad agendum tribui actionem, hancque, utriusque
5. intuitu, si non satisfiat, sequi executionem. Pacta
servare Principem quidem decere, sed, quæ ipso jure
nulla, legibusque in adversum formata, nullatenus a-
6. gnoscenda esse. Quae in legibus determinata est usu-
rarum licite dandarum quantitas, Principem non raro la-
tere. Hunc autem Jure suo uti nolle, ejusdem non gnarum,
7. quomodo credi potest? Recessus Imperii, usuras ad
normam redigentes, sunt conventiones. Vti autem
Imperatori a Capitulationibus suis recedere non per-
mittitur, sic nec Principi a tali Recessu. Quod toti
Imperio semel placuit, id uni nequit displicere. A le-
gibus publicis igitur discrepantes, aut contractus eis
8. contrarios conficere, Principi non licet. Divitiis, si
quas habet, non est explenda usuras, lege majores, pro-
missas efflagitantium avaritia.

Thes. IX.

Respondetur ad eas

1. Sed fidem datam eadem attentione ac promtitudine
Principem atque privatum servare oportere nulla est
2. dubitatio. Quæ autem intuitu hujus, cum privato con-
trahentis, illegitimæ censerentur usuræ, illius paciscen-
tis intuitu licitæ sunt, nulli legi quoad summam ad-
strictæ. Adeoque has ex promissione prætendens, non
illicito, quod contrahentis Principis aversationem mere-
3. ri possit, inhiat lucro. Fiscum solvendo esse *L. 5.* tra-
dit, sed Principem quoque semper ex illo solvere vel-
le, actus, non legis, sed voluntatis est. Et quid si fiscus
4. solvendo sit, num Princeps semper? Aequalitas, quæ
in

in modo contrahendi versatur, cum quocunque etiam pacifcar, ad idem per omnia contractus implementum consequendum non concludit. Justitia quidem eadem est, sed non idem ubivis processus judiciarii cursus. Nullitas pactorum, quæ ex lege est, eis tantum, 5.
qui illis subsunt, officit vel proficit. Vsurarum quantitatem, quatenus lege determinata, tuto Imperii Princeps ignorat, cum definita summa ad ipsum non pertineat & quas promittit usuras eas licitas faciat. Imperii 6. & 8.
Recessus, qui ad privatorum negotia respiciunt, sunt communia Imperatoris Satuumque Imperii placita, & conventiones in proprio suo sensu neutiquam appellandi. Qui autem Statum ipsum Imperii, aut, quid in eo formandum, concernunt, hoc nomine jure insigniuntur. Atque sic, postquam veritatem probati thematis a paleis injectorum scrupulorum brevissimis purgavimus, nunc, ad rationes, quas obmovent Dissentientes, pari ratione tollendas, transeundum est. 9.

CAP. III.

THES. I.

NE statum controversiæ ullo modo immutem, quæstionem, quam affirmative defendunt Adversarii, proponam. Quærunt nimirum, an privatus, cum Principe Imperii contrahens, in eumque justo majores exercens usuras usurariæ pravitatis reus fieri possit? Sub contractus nomine mutuum se intelligere, circa quem illegitimum fœnus perpetratur;

tur; & tale quidem mutuum, quod Princeps ad proprios usus contraxit, notari, declarant. Hanc igitur nostræ adversam sententiam, quandoquidem privatum valide tali in casu contrahere, consequenterque usurariæ pravitatis reum neutiquam fieri, probatum dedimus, nunc explorabimus. Summa primæ oppositionis hæc est. Quia is, qui contraxit, in proposito casu privatus est, ideo etiam secundum commune jus, quod ut subjectus agnoscit, tam ipse, quam ab ipso initus contractus, judicetur. In *Ord. Pol. d. A. 1530. T. 26. §. 7.* verba: **Wes Standes oder Würden der sey**, & *in Recessu d. A. 1532. art. 7.* verba: **von männiglich**, utpote generalia neminem eximunt, nec distinguunt, utrum cum sui generis persona, an cum Principe contractum inierit privatus. Eundem autem, plures quam quinque usuras ex centum sumentem, usurariæ pravitatis delicti indistincte arguunt.

Objectio I. a.) b.) c.)

Responsio ad Obj. I. a.)

Verum privatum ideo, quod cum Principe contraxerit, nullam in sua persona sentire metamorphosin, in confesso est. Contractum ipsum autem ideo privatis ex legibus dijudicandum esse, negatur ac pernegatur. Solemus in jure communiter a principali cognominationem facere rei, &, majus ad se trahere minus, docere, ex *lege 54. ff. d. judic. L. 21. ff. d. except.* Hoc modo sponte fluit, Principem, communi exemtum jure, in suis cum privato institutis negotiis, illas, privatis præscriptas leges, non admittere, ne, quibus judicari non potest, parere tamen necesse habeat. Posito quidem, aliquem obtemperare Legi, obstringi eundem quoque ad ejus tenorem probe custodiendum, ponetur; Contra ea, ubi istius personæ voluntas lex est, regulam suæ legis ut attendat, opus non est. Imo impossibile est, talem contractum communi lege, citra

Prin-

Principis jurium læsionem, censere. Cum idem, quod in privato dicunt delictum, in Principe licitum appellare ipsos oporteat, quod naturæ delictorum non convenit. Qui valide quid promisit, se a debito suo non nisi per totius promissi solutionem liberare potest, & nihilosecius, dum promittit, dum solvit, promissum & solutum acceptans in leges peccare debet dici. Actum solutionis ad amphibii naturam sic conformare mihi videntur, in dante justum, in accipiente vero injustum, statuentes.

Thes. II.

Ad tuendam opinionem *Ordinatio Politica d. A. 1530. T. 26. §. 7.* male adhibetur. Idem enim paragraphus Principes cum Imperatore, Electoribus ac Imperii Statibus Legislatores esse, verbis: So thun wir mit Rath Wissen und Willen Unserer, und des Heiligen Reichs Chur-Fürsten, Fürsten und Ständen, solche Ordnung, (*d. A. 1500.*) aus rechten Wissen erneuern und bekräfftigen, innuit. Ipsa negotia, quæ in dicto titulo usuraria prava recensentur, non modo pro qualitate sua, de privatis agi, evincunt, sed et vox, etliche, qua notantur, in contextu, Legislatores sub ea non comprehendi, commonstrat. Imo verba *Recessus Imperii d. A. 1500. rubrica* Folgt weiter in Abschied von der gulden und silbern Müntz wegen, *ad quem ante laudata Ordinatio Politica in §. 7. se pariter refert, Titulo 30.* totam rem conficiunt sequentia, Setzen, ordnen und wollen wir, allen und jeden Ständen des Reichs ernstlich gebietende, daß sie solche wucherliche und gefähr- *Respons. ad Obj. I. b.)*

liche Contract, in ihren Fürstenthumben, Landen, Oberkeiten und Gebiethen, allenthalben bey ziemlichen Peenen verbiethen, auch die Uberfahrer ernstlich straffen. Gebiethe auch allen und ieglichen, Geistlichen und Weltlichen Richtern, Urtheilern und Gerichten, wenn solche wucherliche, und unziemliche oder gefährliche Contract für sie bracht werden, daß sie die unwürdig, krafftloß, und unbündig erkennen, und declariren, auch auf solche Contract keine Execution oder Vollnziehung thun, noch verhelffen, quæ in Recessibus, quibus usuraria pravitas notatur, ipsique pœna præfinitur, tantum casus privatorum utrinque talium determinari, probant. Subscriptio quoque, quæ Maximiliani, Romanorum Imper. Reg. insequitur ab Electoribus Principibus reliquisque Statibus Ordinationi facta, consensum in illam & promissionem, de illa inter subditos conservanda, tuendaque, zu handhaben, und bey den Seinen zu thun, zu verschaffen, aperte tradit. Eo ipso igitur, quo cum Imperii Principe privatus contrahit, sibi, privatum communeque de eo negotio disponens jus, quo & Recessus, privatos concernentes, pertinent, amplius legem non esse, nec normam dare, novit, sed quod conventum est, sibi legem esse, firmiter tenet. Textus alter *Recessus Imperii d. A. 1532. art. 7.* ad privatas personas earumque negotia statim sub initium suam Ordinationem restringit, quando Politiam (statum civilem, Policey, darin die Wucherliche contract auch begreiffen) instaurandam, & in meliorem formam redigendam esse, loquitur. Civili autem Statui præesse Principem, nemo negat. Ipse itaque negotium, ubi intervenit, supra civilem statum evehit, & secum contrahentem civilibus legibus amplius, quoad istum contractum, judicari non posse, præstat.

Responsio ad Obj. I. 6.)

THES.

Thes. III.

Non nisi per demonstrandam exemtionem effici posse, ut omnibus privatis commune Jus & Lex pœnalis non locum habeat, ubi privatus cum Principe contrahens usurarum modum definitum non attendit, statuunt. Sed incongrue hoc argumentum ad probandam sententiam ducitur. Exemtionem enim a Lege, non nisi qui legem subditis dedit, indulget. In proposito autem casu privatus cum Imperii Principe pactum usuras continens init, cujus Jurisdictioni non subest. Principi autem exercenti in contrahentem privatum jurisdictionem, a lege, usuras, ultra definitam quantitatem, prohibente, dispensandi potestatem frustra dubiam faciunt. Cui enim in universum legem latam aut receptam tollere licet, in uno, vel altero quoque casu, recedere ab illa, ac subjecto dispensare non minus licebit. Idemque sive verbo, sive facto fiat discrimen non habet. Principi Romanam Legem, maxime pœnalem, mutare integrum utique est. Cur non & ab admissa, in casu emergente, sibi subjectum exsolvere valeat? Idem in privilegiis, ubi a communi jure tribuitur exemtio, tota die fit. Sed ipsum præsuppositum, quod contractus de quo agitur, normam, Jure Communi, legeque pœnali privatis data præscriptam, attendere debeat, falsum est. Adeoque exemtio incassum prætenditur. Quæ autem usurariam pravitatem coercent Leges publicæ, quibus & ipsi Legislatores tenerentur, non extant. Quid igitur opus est exemtione, ubi non adest lex. Sed replicabunt:

Obj. II.

Respons. ad Obj. II.

bunt: Si non ex parte Principis, tamen ex parte privati contrahentis, lex usuras damnans omnino adest. Verum, uti supra jam dictum, ideo, quod Princeps contrahentium partibus interest, contractus, non infra leges, sed supra leges esse, deprehenditur. Disparitatem negotii, ubi meri privati, & inter eos Princeps, paciscitur, in sequenti casu illustrabo. Fac privatum a privato usuras ultra quincunces stipulantem, pro suo promissore fidejussorem Imperii Principem, beneficio excussionis renunciantem, obtinere, ex parte utrorumque privatorum contractum pravitate usuraria contaminatum habebis, quem quoad Principem talem increpare non audebis.

THES. IV.

Obj. III. & IV. Majus crimen esse idemque in Principem commissum factumque adesse sua natura vitiosum & insanabile, ut puta, Juri Publico, privatorum conventione non mutando, contrarium, ubi privatus majores, quam legales, usuras a Principe paciscitur, pergunt. *Resp. ad Obj. III.* Verum cum sine injuria crimen non concipiatur, volenti autem injuria non fiat, nec Princeps promittendo excedens præscriptas, privata lege, aut communi Jure, usuras injuria læsum se dicet. *Resp. ad Obj. IV.* Dein Recessus Imperii, usurariam pravitatem redarguentes, ad publicum jus, quod Imperii Principes ligat, nimis abusive referuntur. Quando enim publicæ Imperii utilitatis in *§. 7. R. I. d. A. 1532.* zu Nutzen und Ehren und Wohlfarth des Heil. Römischen Reichs, *& in R. I. d. A. 1541. §. 76.* dem Heil. Reich und allen Ständen desselben zu Wohlfarth und guten

guten auch Förderung und Mehrung des gemeinen Nutzen mentio fit, nemo non videt, particulari, ab unius alteriusve Principis subditis quæri solito, nec improbato fœnori, cum reliqui Principum subjecti usurarum modum servassent, ac multum inde perpessi essent, conjunctim seu communi Legislatorum consilio ac opera occursum & æqualem quantitatem, quam omnium Conditorum subditi servarent, præscriptam esse. Eo pariter pertinet allegatus, tanquam obstans *R. I. d. A. 1500. Artic. 30. verbis:* Nachdem auch durch wucherliche und andere gefährliche Contracte Land und Leuten mercklicher Schade zugefüget wird. Quandoquidem inæqualitas in lucro, licite pro diversitate provinciarum quærendo, aliis moderatas, aliis immoderatas usuras exigentibus, non poterat non unius terræ incolis augmentum, per enormem quæstum, lege tamen non prohibitum, fortunarum attrahentibus alterius terræ ac inhabitantium ruinam inferre, & commercia ac publicam fidem debilitare, subsidioque talium fœneratorum, indigentes pedetentim supprimere.

Thes. V.

Magnum porro pondus repositum sibi persuadent nobiscum non facientes in eo, quod Legis potestas ac Principis dignitas pactum usurarium a naturali nullitatis vitio nequeat purgare, idque propter civile jus per *L. 27. ff. d. O. & A.* in qua propriis viribus obligationes non consistentes, neque Prætoris Imperio, nec Legis potestate confirmari dicuntur, adscito in subsidium *Object. V.*

Cano-

Respons. ad Obj. V. Canonico, usuras, & usurarium pactum damnante. Sed naturale nullitatis vitium ita aderit quoque, si qua Princeps in suo principatu, in locum quincuncium, sex ex singulis centum generaliter introducat. Nullitas omnis ex Lege est, hanc vero immutare Principem posse multoties dictum. Vere ex eadem allata ratione neque minores neque majores, quam quincunces, imo ne hæ quidem citra vitium possunt introduci, quia Canonico jure omnes improbantur. Hinc ex Civili Canonicoque Jure potestatem Principum, qui utrumque non nisi ex lubitu admittunt, circumscribere & facultatem legislatoriam ex uno alterove emetiri extendere vel restringere, aut Principis actiones secundum illas Leges judicare, absonum factum est.

Thes. VI.

Obj. VI. & VII. Ex communi Jure adsumta Regula, delictum animum & factum prodere, & ratio, quod Princeps non Reipublicæ & populi, sed sui commodi gratia, contrahens pro privato sit agnoscendus, perquam fallax, minusque vera est. *Respons. ad Obj. VI.* Qui enim cum Principe de majoribus, quam quincuncibus, usuris convenit, decipiendi propositum non habet, cum sciat, communibus promissiones hasce Legibus non contineri, & dum eas paciscitur, nihil agit, quam quod scit, promissori, & consequenter sibi, acceptanti, licere. *Respons. ad Object. VII.* Differentia inter personam Principis abstractivam a principatu et Status Imperii juribus, ubi pro se contrahit, & concretivam, ubi Principatus sui causam agit, &, quod in primo respectu privato-

rum

rum jure utatur, in secundo vero, persona publica sit, quæ illo non ligatur, ad præsentem casum applicata, nullius momenti est, & probatio, ex Romano Jure desumta inepta, Princeps enim Jus Principis, quod sit supra leges privatas, salvum incorruptumque sive sui, sive publici causa quid agat, habet. Potestas ipsius ex *§. 6. Instit. d. J. N. & G.* minus adæquate ab Adversariis derivatur, aut repetitur, cum hoc paragrapho, Principis autoritatem a populo venire, tradente, in demonstranda Principum potestatis origine tuto carere liceat.

Thes. VII.

Imperii Principum jura secundum Legum Romanarum apices pensitantes, octavo, pro fisco solliciti sunt, eundemque non obligari, tradunt, nisi ubi Princeps, ut Princeps, contraxerit. Nec ex oculis dimittendam esse distinctionem substantiæ Principis, & fiscalis, tanquam solide in *L. 3. C. d. quadr. præscript.* fundatam, opinantur, quæ, jus fisci in Imperio S. R. Germ. superioritati territoriali, & mero Imperio inesse, Principique, tanquam Principi, competere demonstret. Inferunt inde, Principem, non ut Principem in contractu cum privato versantem, fiscum non obligare posse ad usuras, ex illo solvendas, seque in continenti *L. 17. ff. d. usuris* præsidio tuentur. In qua, fiscum ex *suis* contractibus usuras non dare, traditur. Sed hæc Principum juribus non parum decerpit sententia. In thesi enim nemo Principum patietur in præstando eo, quod promisit suam limitari potestatem, unde velit solvi. Et pro Principe non alia potest unquam capi rationabilis præsumtio, quam quod, pro bono suæ

Obj. VIII.

Respons. ad Obj. VIII.

Reipublicæ, quicquid facit, agat. Imo ipsius Reipublicæ intereſt, Principis contractus ſervari. Non obſcure fiſcus hoc modo Principis diſpoſitioni eximeretur, cujus ex arbitrio tamen adminiſtratur. Ipſi ſuperioritati territoriali ineſſe dicitur. Sed hæc Principi ſemper cohæret. Ergo diſtinctus conceptus inter Principem, qua ut privatus, & inter eum, qua ut fiſcus, in caſu prolato, contraxit, nil manet, niſi ſeparatio fictitia, uſum non habens. Leges confutatione non egent. Nam bonorum diſtinctio, in *L. 3.* ſupra laudata annotata, non infert, Principem contrahentem diverſo modo ideo eſſe ſpectandum, maxime, cum ejus rei voluntatis indicium ipſe non dederit. Lex 17. autem prorſus non quadrat. Quid ex formata regula: Fiſcus ex ſuis contractibus uſuras non dat, ſequitur ad noſtrum decidendum caſum faciens? Nam ſic ne quincunces quidem, ubi pro ipſo, ex mente etiam adverſantium, Princeps contraxit, dabit.

THES. VIII.

Object. IX. X. XI. & ſubnexæ Reſponſiones.

Reſp. ad Obj. IX.

Nona ratio, quod tacite Princeps ſuo juri renunciaſſe haud dicatur, per præmiſſas ad objectiones datas reſponſiones concidit, quia eundem, tanquam privatum, communi jure uti, adeoque ad exceptionem confugere poſſe, uſuras juſto majores capi promittique neutiquam debuiſſe, ſimpliciter negavimus. Et, quod faſtigio Principis contrarietur impoſita ipſi privati perſona, eum in finem, ut commodo, in repetitione uſurarum, ultra quincunces exſolutarum, vel in denegatione ex promiſſo petitarum, tanquam privatis Legibus contrariarum, conſiſtente, potiatur, ante fuſius jam expoſitum. Quod decimo objiciunt

Reſp. ad Obj. X.

Imperii

Imperii Principes Imperii Recessibus adstringi, quia essent conventiones publicæ ac Imperii Leges fundamentales, id de eis, qui publicum Imperii statum attingunt, Titius, qui allegari solet *in Jurispr. publ. L. 2. c. 1.* pluresque alii, & nos quoque concedemus. Quando vero Recessus Imperii modo conduntur, ut subditi actiones suas juxta eos componant, nec Principem eos ligare, in confesso est. Eos autem, quibus usurarum quantitas definitur, hujus esse sortis, cum Titio *in Jurispr. publ. L. 11. c. 2. §. 20.* affirmamus. Hac ratione quoque corruit undecima oppositio, Principem scilicet tacite leges publicas tollere noluisse. Nam ad publica jura Recessus dicti, de usuris agentes, male referuntur, qui sunt potius Principis leges, suis subjectis in universum vel generaliter præscriptae. Si in improprio sensu publicos nominari tamen posse dicas, quatenus nimirum in publico Imperatorum, Electorum ac Statuum conventu sanciuntur, non refragabor. Sed multas sic dari publicas Leges, Recessus Imperii minime vocandos, apertum erit. *Resp. ad Obj. XI.*

Thes. IX.

Robur non vanum, duodecimo, dissentientes quærunt in substructo principio, quod privati utantur privato jure contra Principem, cui consequentiam, Principem eodem jure contra privatos uti posse, imponunt. At enim vero Principem, aliud non declarantem, privato jure vivere, largimur; diversum autem ab isto in contractu statuentem, Legibus eo ipso quoque derogare, contendimus. Est igitur voluntatis res, quæ determinata pro lege habenda, non determinata, communi opinione ac regula æstimanda. *Obj. XII.* *Resp. ad Obj. XII.*

da. Ponamus ſic privato-uſuras indeterminate promitti a Principe, & dubio procul quincunces poſci, nec minores offerri poſſunt. Principe autem de tribus aut decem dandis, privato in contractu fidem faciente, & hæ legitimæ juſtæque erunt. Ergo, quod privatum jus contra ſe admittat Princeps arbitrii quæſtio eſt, & ubi aliud tempore initi contractus non vult idem elegiſſe cenſendus. Apparet inde, quam minus ſolido robore nitatur diſcrepantium fundamentum, & quam imbecille ſit eidem ſuperſtructum argumentum, quod memoratæ conſequentiæ veritatem tuetur. Nimirum Principem, quia privati privato utuntur jure contra ipſum, etiam contra privatum illo uti jure poſſe. Poteſt enim ubi aliud non vult. Non poteſt autem, ubi aliud voluit. Fidem enim ſemel datam ſervat, et ſemper agnoſcit.

Thes. X.

Levia ſuperſunt, numerumque magis quam pondus augentia dubia, & maximam partem ex prioribus recocta, quæ ideo & conjungemus, ut aliquid eſſe videantur,
Obj. XIII. ſtrictimque poſt removebimus. Turpi lucro, quod privatus ſentit, nihil indulgendum, illud potius ipſi extorquen-
Obj. XIV. dum eſſe. Principis interventum in contractu tertio jus non auferre. Inſigne hujus rei teſtimonium §. *f. I. quib. mod. Teſt. infirm.* præbere, ubi Princeps litis cauſa hæredi-
Obj. XV. tatem adire recuſat. Deinde cum contrariis quoque ludunt Antipatroni, ut omnia moviſſe intelligantur, & pro validiſſimo argumento venditant, quod Princeps ex nullo facto, cui juris autoritas deeſt, aliquid adipiſci, multo
Obj. XVI. minus ex tali contractu quicquam perdere, debeat. In ſpeciem decori ac juſti etiam honorem Principis urgent, eidem-

eidemque, ubi privatus ex tali contractu usurarius redditur, egregie consultum iri, Lectori persvadere sustinent, singulatim propter Pontificis effatum in *C. 13. X. d. vita & honest. Cler.* Removendum eventualiter Principem a delicto, usurariæ pravitatis esse autumant, cum aliud sit judicare de contractu, aliud in illicitum quod contractui inest inquirere. Quoad illud, Principem interfuisse, dari posse, quoad hoc vero, separandum ipsum rursus esse. Adeoque multum prodesse bene probaturo scire subtiliter distingvere, rerumque conceptus variare, gloriantur. Claudunt gravissima, uti appellant, allatarum probationum fundamenta, apposita auctoritate CARPZOVII, quem secum *in Respons. L. V. T. II. R. 9. n. 24. & 25.* sentire, opinantur. Verbis ipsis, quia liber in omnium prope manibus est, transcribendis perdere chartam cum ipsis non placet. Calculum demum Lectorem suæ adstructæ sententiæ appositurum, firmiter confidunt, & certo sibi promittunt. *Obj. XVII.* *Obj. XIIX.*

THES. XI.

Fallentur autem, credo, in hausta inconsulta fiducia, speque concepta nimium se frustratos, vereor, invenient. Ad XIII. scrupulum itaque me verto. Volenti injuria non fit. Qui deliberato scienterque aliquid promittit proprium factum non alii imputare potest. Accipiens oblatum secundum conventionis legem in illicito non versatur. Lucrum, si non ex lege mensuram, sed ex voluntate, habet, conventio illud justum facit. Sed id omne in contractu, quo usuræ ex Principis arbitrio determinantur, comprehenditur. Turpe igitur lucrum injuste & ignominiose appellatur, si vero legitimum est, quidni retineatur? quis *Respons. ad Obj. XIII.*

Respons. ad Obj. XIV. extorquendum censebit? Hoc ipso corruit effictum jus, quod territorii Dominis in privatum, usuras a Principe lege majores promissas acceptantem, assertum. Nam pœnam meretur, qui peccat in Principem, non qui ejus beneplacitum sequitur. Et quod unus Princeps justum declarat, alter injustum non reputat. Mutuorum enim hoc poscit jurium ipsorum correlatio. *Respons. ad Obj. XV.* Contractus cum Principe celebratus, autoritate non legis, sed ipsius contrahentis, suffulcitur et ab ea defenditur. Nil autem in illo perdit Princeps, qui, quas vult, usuras promittit. Juris etiam auxilio, in acquirendo, quod sibi conducit, præcise opus non habet, ut male, qui dissentiunt, supponunt. Hac ratione facillime omnes Jure Romano ignoti præstationum tituli venirent supprimendi. Modi pariter in eo jure in materia acquisitionis non praescripti hodie cuncti cessarent. Videmus sic, quo non coecus Romani Juris amor, in Principum juribus, ex illo repetendis ac demonstrandis, homines talparum instar abducere queat.

THES. XII.

Respons. ad Obj. XVI. Sordide Principis honorem ampliare iubeunt, quando usurarum excessum, qualem, qui ultra summam, Lege definitam, ascendit, nuncupant, impunitum, sine læsione Principis dignitatis, relinqui non posse, statuunt. Principem sic aliud velle, aliud sentire oportet. Quod uti in homine infimæ sortis vitium est, qua fronte pro laudabili facto in Principe venditabunt. Honori ipsi cedit, contractum suum servari. Nemo propria facta irrita fieri, aut aliis præter intentionem nociva evadere, optat. Multo minus

minus Princeps id velle credendus, maxime, qui vult & poteſt validitatem ſuis præſtare negotiis. Validum autem eſſe invalidum, imo pœna dignum, invicem pugnat. Minus prudenter Principem, ſi non delicti, certe cauſæ delicti arguunt, dum XVII. ejus factum, quod promiſit uſuras plures, quam lege licet, pœnæ expers declarant, ſed promiſſum Principis acceptantem delicti reum pronunciant. Plus enim eſſe contrahere, quam contractui cauſam dare, in propatulo eſt. Sed ſi ipſe contractus verſatur circa rem punibilem, minus peccat, qui illi ineundo cauſam dedit, quam qui ipſe intervenit. Vltima quæ claudit argumentorum gregem XVIII. ratio teſtimonio & autoritate CARPZOVII ſubnixa, ſatis teſtatur, centonem compilatorum locorum communium nunc deficere. Neſcio autem, an famigeratiſſimo Autori magis affingant conſenſum in ſuam ſententiam, quam illam ex allegatis verbis probent. Imperii enim Principis ne verbo quidem fit mentio, & ipſa verbalis conjunctio *Principis*, *aliarumque perſonarum Nobilium* & *Illuſtrium*, de mediato ſtatu agi, non obſcure prodit. Ceterum quicunque etiam cum diſſentientibus faciat, ſolo ſplendido nomine aſſertam veram de Imperii Statuum jure legislatorio in materia uſurarum noſtram ſententiam non percutiet. Rationibus opus eſt. His certandum & vincendum eſt.

Reſponſ. ad Obj. XVII.

Reſponſ. ad Obj. XVIII.

THES. XIII.

Poſſem nunc progredi, & de ſimili negotio quod uſuras tangit, de Anatociſmo, nonnulla addere. Sed, cum hic pariter privatis legibus illicitus fuerit factus, ex quibus ad Imperii Principem male concluditur, huic uſurarum uſu-

De quantitate uſurarum aſſerta etiam ad A-

raS

natocismum pertinent. Excusatur parte facta textuum Juris et Autorum allegatio.

ras dare, & promittere licere, extra controversiam pono. Adhuc est quod fini Dissertationis præmittendum duxi. Aegre dubio procul ferent Dissentientes, quod elaborationem præsentem Legibus citatis Doctoribusque allegatis minus spissam ornatamque legant; quibus tamen opus esse, reputabunt, ubi ejusmodi penu abundanti labori opposito satisfaciendum est. Sed sciant, suffragia emendicare & Juris textibus abuti nos puduisse.

Thes. XIV.

Thema illustratur casu.

Non piget addere, quomodo in simili casu, ubi Creditor, qui cum Principe contraxerat, usurariæ pravitatis accusatus, & per sententiam ad summariam responsionem jam condemnatus erat, cum acta ad Facultatem Vitebergens. a Præfecto Lipsiensi transmitterentur, hæc, mense Februario huj. ann. mutandam illam esse, judicans, de jure sequentem in modum responderit. Daß gestallten Sachen nach, und in Ansehung, daß N.N. mit einem unmittelbahren Reichs-Fürsten contrahiret, welchem von denen Reichs-Abschieden, soferne solche von rebus privatis handeln, abzugehen, solchemnach mehrere, als ordinaire Zinßen, nicht weniger von Zinßen hinwiederum Zinßen zu verschreiben, und zu versprechen, frey gestanden, ja auch solches alles zu acceptiren, ebenmäßig unverwehret gewesen, wegen des ermeldeten N. beygemeßenen Anatocismi, und Vsurariæ pravitatis wieder ihm weiter nichts vorzunehmen, noch er mit einiger Straffe zu belegen.